



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **DAKARENSIS**

**(THIESINAE)** \* QUIBUSDAM DETRACTIS TERRITORIIS AB ARCHIDIOECESI DAKARENSI,  
NOVA CONDITUR DIOECESIS, «THIESINA» NOMINE.

Pro summo, quo in universam Ecclesiam pollemus, apostolici officii munere, studio omni annitimus ut aptioribus in dies consiliis salutiferum Christi Evangelium quam plurimis promulgetur hominibus promulgatumque in eorum mentibus altius stabiliatur. Libentissimo propterea animo sententiam accipiendam esse putavimus Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, quae, post auditos venerabiles Fratres Ioannem Mariani, Archiepiscopum titulo Missuensem, eundemque Apostolicum in Senegalensi Republica Pro-Nuntium atque in Africa Occidentali Delegatum, et Hyacinthum Thiandoum, Archiepiscopum Dakarensis, proposuit ut, certis ab archidioecesi Dakarensi distractis territoriis, nova constitueretur dioecesis. Suprema ideo usi Nostra potestate, ab Ecclesiae quam diximus territorio septemtrionalem partem separamus una cum regione civili vulgo Thiès nuncupata et cum districtibus civilibus vulgo Thiès, Tivanouane, Diourme, Bambey et M'backe, iisque dioecesim constituimus, *Thiesinam* appellandam atque metropolitanae Sedi Dakarensi subiciendam. Conditae dioecesis, quae Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione obnoxia perget esse, sedes Episcopique domicilium in urbe Thiès erunt, episcopalis vero magisterii cathedra in eiusdem urbis sacra aede principe. Decernimus praeterea ut, pro Canonorum collegio, Consultores dioecesani deligantur, ad Codicis Iuris Canonici normas. Ea demum quae praescripsimus ut ad effectum adducantur curet venerabilis Frater Ioannes Mariani, quem diximus, vel ab eo delegatus sacerdos. Qui autem negotium perfecerit, congrua documenta exaranda studeat ad Sacramque Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittat, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint

subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA	GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN
S. R. E. Cancellarius	S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Iosephus Massimi, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXI (1969), n. 8, pp. 447-448 © Copyright 1969 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana